

sub poena suspensionis, nempe indecentia vani ornamenti inter celebrandum adhibiti. Cfr. n. 33,

Nulla autem generali Ecclesiae lege vetitum est ne deferatur inter celebrandum circulus ex capillis confectus, quo tamen nuda relinquatur pars capitis ubi clericalis tonsura designatur. (Bened. XIV, Inst. 34. n. 14.)

TRACTATUS XV.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

257. Hoc summi momenti argumentum dividemus in sectiones tres : in prima, de sacramento poenitentiae universe inspecto, in secunda, de subjecto illius seu poenitente, in tertia de ministro seu confessario agemus.

Non referemus hic plura quae de hujus sacramenti natura et institutione omnibus nota sunt et scientifice a Dogmaticis tractari solent ; ex iis suo loco ea tantum recolemus, quae cum quaestionibus moralibus intime conexas sunt. Similiter de natura virtutis poenitentiae non agemus ex professo : quaecumque enim ex hoc argumento ad nostram disciplinam faciunt, satis innotescunt ex iis quae sectionis secundae c. III de contritione dicturi sumus.

SECTIO I. — DE SACRAMENTO POENITENTIAE UNIVERSE INSPECTO.

CAPUT I.

DE MATERIA SACRAMENTI POENITENTIAE.

§ I. DE MATERIA REMOTA.

258. Materiae remotae nomine hic intelleguntur peccata, circa quae versari possunt contritio poenitentis et absolutio sacerdotis. Unde liquet hoc vocabulum alio sensu hic adhiberi atque in reliquis sacramentis : sic in baptismo materia remota est aqua, non peccata baptismo delenda.

Distingui solet materia remota in necessariam et mere sufficientem seu liberam.

ASSERTA. I. Materia **necessaria** sunt ea peccata quae ex obligatione clavibus Ecclesiae sunt subjicienda, nempe omnia et sola peccata mortalia, post baptismum commissa et nondum per absolutionem sacramentalem directe remissa. In hoc igitur censu manent peccata jam alio medio condonata, puta per actum contritionis perfectae (n. 270, II), susceptione alius sacramenti (n. 130) vel etiam sacramenti Poenitentiae, sed indirecte. (n. 283) Patet assertum e thesi quam Dogmatici demonstrare solent: omnia peccata mortalia post baptismum commissa esse clavibus in sacramento Poenitentiae subjicienda.

De peccatis quae in ipsa susceptione baptismi committuntur, puta ob defectum fidei in baptizato, controvertitur utrum, sublato obice per attritionem, vi praecedentis baptismi remittantur an absolutioni sacramentali subjicienda sint. Priorem solutionem probare videtur S. Alph. (l. 6. n. 427), quamvis fateatur posteriori favere communissimam DD. sententiam. Quaestionem hanc subtiliter agitat Lugo (de Poenit. disp. 16. sect. 1) qui tamen recte advertit (n. 2) eam esse omnino speculativam, practice vero omnia illa peccata esse in confessione accusanda, quia nemo scire potest aliquod peccatum in ipso actu baptismi admissum, non fuisse ullo modo continuatum per aliquid temporis sequentis. Impossibile enim est discernere quando terminatum fuerit sacramentum baptismi vel quando metaphysice desierit voluntas illa interior mala, quae erat peccatum actuale.

259. QUAER. Num adultus, qui baptismum sub condicione recipit, teneatur ad confitenda peccata mortalia ante hunc baptismum condicionatum commissa.

RESP. 1° Certe non obligatur ad confitenda peccata quae jam antea confessus est, ut fieri posset si quis catholicus vel schismaticus ad cautelam baptizaretur: nam, si antea valide baptizatus fuit, peccata ista absolutione deleta sunt: sin autem invalide, delentur baptismo condicionato. (Gury, II. n. 419)

2° Si ea numquam antea confessus est, ut contingit protestanti qui in sinum Ecclesiae recipitur, duo recentiora S. Inqu. decreta (14 Jun. 1715 et 17 Dec. 1868; Coll. P. F. nn. 644, 955) integram confessionem faciendam esse jubent. Confessio etiam commemoratur in Instr. 20 Jul. 1859 (Coll. P. F. n. 1689) juxta quam neo-conversos ad fidem recipere jubent Patres Conc. Baltim. III. n. 122. Quin etiam censet Lehmke. (II. n. 321) has decisiones necessario habendas esse tamquam juris divini declarationem, quia nulla lege ecclesiastica praescribi potest pro materia necessaria confessionis ea quae ex jure divino necessaria non sit.

Nihilominus cum Ball. P. (n. 28), D'Annib. (III. n. 301, nota 3) et Buc-

ceroni (de Poenit. n. 12), censemus sententiam plurimorum veterum (ex. gr. La Croix, l. 6. p. 1. n. 323) hanc obligationem negantium, manere probabilem quotienscumque probabile dubium de collatione vel valore prioris baptismatis manet. Fulcitur enim ratione valida: in hac hypotesi incertam esse obligationem confitendi peccata probabiliter remissa per baptismum condicionatum modo susceptum. (n. 290, I) Decreta vero citata non videntur eam universaliter extenuare. Nam prius latum est de baptismo alicujus determinati hominis, et in iis circumstantiis quae magna ex parte nos latent. Posterius responsum datum est de neo-conversis in *Anglia*. Jamvero episcopi Angliae exposuerunt peculiare circumstantias quae talem confessionem magis necessariam reddebant, vid. multos e clero anglicano diligenter advigilare baptismo valide conferendo, ac proinde crescere numerum eorum de quorum baptismatis infantilis valore non liceat dubitare. Haec igitur exposita potuerunt movere S. Inqu. ad dispositionem illam specialem edicendam ubi, propter maximam probabilitatem baptismi infantilis, vix ulla probabilitas est remissionis peccatorum per baptismum condicionatum. Neque talis dispositio excedit legis ecclesiasticae efficaciam: siquidem, in explicatione data, supponitur deesse solidam probabilitatem quod peccata per baptismum condicionatum remissa fuerint, vel, si quando haec probabilitas adesset, non apparet quare Ecclesia non posset decreto disciplinari urgere sententiam tutiorem, juxta quam confitendum manet peccatum certe commissum, probabiliter expiatum, quando in aliqua regione communiter parum probabile est valere baptismum qui sub condicione reiteratur, et timendum est ne, si singulis sacerdotibus detur facultas discernendi quando confessio sit necessaria, eadem saepe omittatur ubi prorsus necessaria foret. (290, IV) Verum est vulgatum esse anno 1899 responsum S. C. Propagandae fidei, quod datum jam 12 Julii 1869, declarat vim decreti S. Inqu. 1868 esse universalem nec posse contrariam sententiam edoceri. Sed responsum hoc hucusque latuit; non fuit vulgatum nisi opera periodici alicujus, nec insertum unquam est Collectanae editae jussu C. P. F. Quare deficiente ei promulgatione authentica, sententiam in praecedentibus expositam servare suam probabilitatem putamus.

Quare, ubi S. Sedes vel episcopi praecipunt confessionem, hanc regulariter imponenda est neo-conversis; attamen, cum lex probabiliter sit mere ecclesiastica quotiens probabiliter valet baptismus condicionatus, urgenda est cum ea moderatione quae legum positivarum propria est. (Vol. I. n. 114) In aliis regionibus, confessio haec valde consulenda est, quo certior sit peccatorum ante commissorum remissio, sed absque stricto praecepto, excepto casu in quo de valore prioris baptismi non-

nisi tenue dubium maneret, ac proinde non esset solide probabilis remissio peccatorum per baptismum modo sub condicione collatum. (1)

260. II. Materia **mere sufficiens** seu quae cum fructu, sed sine obligatione clavibus subjici queat, sunt peccata venialia, sive jam condonata fuerint, sive non, et peccata mortalia jam directe remissa.

Id de peccatis venialibus non condonatis habetur ex Trid. Sess. 14. c. 5. De peccatis jam condonatis declarat Bened. XI (Extrav. comm. l. 5. t. 7. c. 1): "Licet de necessitate non sit iterum eadem confiteri peccata, tamen propter erubescendum, quae magna est poenitentiae pars, ut eorumdem peccatorum iteretur confessio, reputamus salubre." Neque obstat peccata haec jam esse remissa: Deus enim potest iterum renuntiare juri quod ipsi ex offensa nostra acquisitum erat ad vindictam, sicut nos possumus pluries renuntiare juri jam semel a nobis abdicato, puta renovando vota religiosa. (Lugo, disp. 13. n. 73) Accedit universalis fidelium praxis.

Materia igitur sufficiens est quodcumque peccatum veniale, etiam cum imperfectissima deliberatione commissum: quod per longum tempus vitari nequit. (Vol. I. n. 315; videsis Palmieri, de Gratia, th. 23) Non sunt vero materia sufficiens imperfectiones etiam positivae (Vol. I. n. 149), ex. gr. quod poenitens non responderit gratiae moventi ad opus supererogatorium, violaverit regulas mere directivas vel quandoque omiserit preces matulinas. Attamen confessarius non debet semper impedire quominus poenitentes pii eas accusent, tum quia facile iis admisceri potest culpa levis (n. 87, IV), tum quia poenitens utiliter potest integrum suae animae statum confessario pandere, quo rectius ab eo dirigatur.

(1) Juvat hic recensere ordinem servandum in admissione haereticorum, juxta Instr. cit. 20 Jul. 1859:

1^o Si baptismus absolute conferendus est, nulla requiritur abjuratio vel absolutio a censuris.

2^o Si baptismus iteratur sub condicione, sequens ordo observandus est: abjuratio seu professio fidei; — baptismus condicionatus; — confessio sacramentalis cum absolute condiconata. Hic ordo si non fuerit servatus, peccata tamen certe deleta erunt, sive per confessionem, sive per baptismum. Insuper poterit accipi accusatio peccatorum antequam conferatur baptismus; quo collato, absolutio impertiatur, peccatis summatim tantum repetitis. (S. Inqu. 2 Dec. 1874; Coll. P. F. n. 957)

3^o Si baptismus in haeresi susceptus judicatus fuit validus, sola requiritur abjuratio seu professio fidei, quam absolutio a censuris sequitur.

Sola professio fidei, juxta formulam in cit. Instr. relatam, exigenda est ab iis qui nondum compleverunt annum decimum quartum; a reliquis insuper formalis abjuratio sectae. (S. Inqu. 8 Mart. 1882; Coll. P. F. n. 1680) Ritum refert Schneider, Man. Sac. p. 437.

nec quidquam cogit ut omnia quae in confessione accusantur sint determinate materia absolutionis. (Lugo, disp. 16. n. 103) (1)

261. III. Semper a poenitente accusanda est materia **certa**, ne sacramentum periculo nullitatis exponatur. Non sufficit ergo accusare factum de quo dubitatur num fuerit positum vel utrum sit culpa venialis an mera imperfectio.

Hinc in confessario oritur obligatio curandi ut poenitens certam materiam subjiciat, si dubiam tantum attulit. Hoc tamen non nimis facile arbitrandum de iis qui sat multas imperfectiones accusarunt, eo quod moraliter certum est iis aliquod veniale peccatum admisceri.

Ut accusatio certa fiat, sufficit profecto ut poenitens se accuset de reliquis peccatis olim a se commissis, indicato saltem generice praecepto vel virtute cui adversantur. Sufficiet quoque ut confessario interroganti num se accuset et doleat de peccatis olim commissis contra caritatem, religionem, etc., respondeat affirmando. Certe non requiritur ut numerum vel infimam speciem peccatorum istorum explicet: siquidem id de solis peccatis gravibus nondum confessione expiatis praeceptum est. (Elbel, Theol. Sacr. p. 2. n. 17; S. Alph. Prax. Conf. n. 71)

Cavendum quoque ne hujusmodi poenitentibus piis desit quandoque contritio de peccatis quae accusant, eo quod jam saepius eadem accusarunt: quare utiliter ipsis suadebitur ut potius illa accusent quae, utpote graviora, magis doleant. Attamen, non ita aegre adfuturam contritionem iis qui crebro mere venialia confitentur, liquebit ex iis quae de contritione pro venialibus requisita dicemus n. 276.

262. QUAER. Num valida et licita sit confessio, quae fiat omnino in genere, accusando se de multis peccatis commissis, non determinando utrum gravia sint an levia, vel etiam accusando se de peccatis levibus in genere.

RESP. 1^o Talis confessio est valida et licita in casu necessitatis, puta cum nullum peccatum proferre possunt moribundi ob loquelam deficientem, milites pugnaturi ob defectum temporis ad secretam confessionem,

(1) Subtiliter notat Lehmkühl (II. n. 261) de omnibus moralibus defectibus qui ad rationem peccati non pertingunt, non ipsam omissionem vel operis executionem, quae in se solam imperfectionem dicit, materiam tum accusationis, tum absolutionis esse, sed potius intentionem seu finem leviter malum. Haec verissima sunt de verbis poenitentis abstracte spectatis; sed ubi hujusmodi opera vel omissiones in confessione accusantur, tum poenitens intendit, tum confessarius intellegit ea accusari quatenus peccata sint, neque sane requiritur ut explicetur quomodo per inordinatam intentionem peccaminosa evaserint.

etc. (1) Id hodie tamquam certum ab omnibus traditur, quamquam plures veteres contrarium tenuerunt, quos enumerat et refutat Lugo. (disp. 17. n. 7. seqq.) Constat praesertim e praxi, probantibus RR. PP. recepta de absolutione moribundorum. (n. 298 seqq.) Idem dicendum quotienscumque confessarius jam ex praeteritis confessionibus novit peccatum certum sui clientis.

2^o Pariter jam non videtur dubitandum de valore talis confessionis extra casum necessitatis. Nam ea quae ad essentiam sacramenti spectant semper manent eadem. Si igitur in casu necessitatis valide absolvitur qui tantum in genere peccatum fassus est, idem dicendum de casu quo nulla urget necessitas. (2)

3^o Controvertitur num talis confessio extra casum necessitatis licita sit, ex. gr. si fit a poenitente pio qui nullius peccati gravis ab ultima confessione reus est, vel si poenitens, enarratis quibusdam scrupulis vel tentationibus quibus consensum denegaverit, addat: "Praeterea accuso me de peccatis vitae ante actae.," Affirmant quidam (Dicastillo, de Sacram. Poenit. disp. 9. n. 760; Ball. nota ad Gury, II. n. 421; Buccer. de Poenit. n. 13, etc.), nixi hac ratione: legem divinam confessionis distinctae, authentice a Trid. (Sess. 14. c. 5.) explicatam, unice procedere de peccatis mortalibus nondum confessione expiatis, minime vero de venialibus,

(1) Non levis difficultas est de tali generica confessione componere duo haec quae aequae certa videntur: alterum, absolutionem directe terminari ad omnia poenitentis peccata; alterum, manere obligationem eadem accusandi si postea occasio se obtulerit, quamquam e regula generali (n. 258, I) materia necessaria hujus sacramenti non sint peccata jam directe per ipsum remissa. Subtiliter et obscure respondet Lugo (disp. 17. n. 15); rectius videtur tenendum cum Ball. P. (n. 449) hanc esse quasi exceptionem huic regulae, neque unicam, saltem juxta sententiam communem de peccatis quae prius ut dubia, postea ut certa accusanda sint. (n. 291, VI)

(2) Frustra hoc ratiocinium labefactare conatus est P. Lehmkühl (II. n. 265), allegans non plane necessario ex eo quod in articulo mortis valeat et liceat concludi posse ad valorem extra illam necessitatem: siquidem confessio per nuntium facta in articulo mortis, ubi sacerdos moribundum invenerit sensibus destitutum, per modum genericae accusationis valet, alias tamen hujusmodi confessio nullo casu est licita vel valida. Cfr. nostrum n. 267, VI. Etenim nequaquam constat absolutionem in casu moribundi valere propter praecedentem confessionem per nuntium factam, quasi haec sacramentalis foret: commode enim, et nostra sententia verisimiliter, explicari potest valor talis absolutionis, quia ob confessionis petitionem nullum dubium habebitur de intentione et dispositionibus poenitentis. Ceterum haec ratio dubitandi e facto aliquo particulari, de quo propter defectum sensibilis signi in poenitente multum disputari possit, deducta, parum efficax est adversus rationem a nobis ex intrinseca rei natura allatam. Tandem advertit, etiamsi, ut scribit Lehmkühl, non haberemus omnimodam certitudinem de valore talis confessionis, non impediri nos a sententia nostra in praxim deducenda, tamquam probabilissima. Cfr. n. 116, IV.

neque de peccatis jam directe per absolutionem remissis. Aliunde non obstat periculum ne sacramentum fiat invalidum, siquidem moraliter certum est ad valorem sufficere accusationem genericam. Plerique tamen (Suar. de Poenit. disp. 23. sect. 1; La Croix, I. 6. p. 2. n. 622; Lehm. II. n. 264, etc.) id illicitum putant, tum quia est contra praxim Ecclesiae, tum quia hoc sacramentum institutum est per modum accusationis et iudicii: haec autem, per se loquendo et ordinarie, fieri debent circa materiam saltem in specie certam et determinatam.

Hujus posterioris sententiae rationes non videntur rem evincere: nam cum praxis ista pertineat ad fideles ex devotione confitentes, non liquet utrum indicet strictum jus, an tantum id quod melius sit; deinde, ut fatetur Suar. (l. c.), qui confitetur unum peccatum veniale, ex. gr. verba otiosa, censetur ab omnibus dare sufficientem materiam, et tamen non plus declarat conscientiam suam quam qui declarat tantum se peccasse venialiter, nec magis variat iudicium confessoris. Tandem falso dicitur hanc materiam non esse certam ac determinatam ita ut circa eam exerceri queat absolutio judicialis. Qui enim se in genere tantum de peccatis ante actae vitae accusat, ea affert quae certo sunt materia absolutionis: naturam eorum non explicat, sed hoc nulla lege probatur necessarium ubi de materia mere libera agitur. Nihilominus prudentis confessarii est regulariter impedire ne poenitentes confessione mere generica contenti sint, vel etiam accusent tantum aliquod peccatum praeteritum, puta contra caritatem vel castitatem, quamvis haec posterior formula omnium iudicio sufficiat. Nam si habitualiter tam summariam confessionem instituunt, magnum periculum est ne sacramentum perfunctorie et neglegenter suscipere assuefiant. Id tamen permitti posset viris solide piis, quibus nullum hujusmodi periculum imminere merito praesumatur. Ceterum, ubi audiuntur poenitentes habituales, confessarius plerumque aliquod peccatum ex eorum praeteritis confessionibus recordabitur, ac proinde non erit confessio vere generica, quamvis verba de se nihil determinatum sonent.

Hinc colligitur quid confessario agendum sit cum poenitente qui declarat se nihil habere quod accuset vel non nisi dubia peccata confitetur. Proponat confessarius quaestiones de iis peccatis in quae poenitens iste, pro condicione sua, facilius lapsurus videatur. Si neque hac ratione aliquid certi extrahere potest, interroget de vita praeterita, num aliquando impatiens fuerit, Sacrum neglexerit aut neglegenter audiverit, turpia dixerit vel fecerit, etc. Quodsi etiam de vita praeterita nihil determinate fateatur, poterit quandoque confessarius obligari ad eum docendum de iis quae necessaria sunt ad sacramentum rite suscipiendum. (n. 357) Si vero ea satis nosse videtur, confessarius eum ad dolorem de omnibus peccatis vitae ante actae excitet, atque ita eum ad

confessionem saltem genericam faciendam adducat. Hac facta, poenitens, saltem condicione, absolvi poterit, praesertim si a longo tempore ad sacramenta non accessit, modo non videatur quaelibet peccata determinata ex actuali mala voluntate negare. Si sperari potest profectum, ad tempus dimittendus erit donec conscientiam melius examinaverit et magis sibi invigilare didicerit: sed plerumque dimissus non redibit. Cfr. Reuter, Neo-Confessarius, n. 117.

§ 2. DE MATERIA PROXIMA.

263. Materiam proximam sacramenti poenitentiae consistere in actibus poenitentis circa materiam remotam exercendis, certum est ex Trid. Sess. 14. cap. 3. et can. 4. ubi contritio, confessio et satisfactio vocantur *quasi materia* hujus sacramenti.

Disputatur autem inter Theologos de ratione qua actus isti sint quasi materia hujus sacramenti, quemadmodum fusius a Dogmaticis exponi solet.

Prior sententia, cui communius adhaerent Dogmatici, est Thomistarum. Hi censent actus illos esse veram *materiam ex qua* essentialiter conficiatur sacramentum, constituentes cum absolutione unum signum completum et efficax gratiae, quale constituit in baptisate aqua cum verbis sacramentalibus. Id tamen de satisfactione eateus tantum verificari aiunt, quatenus poenitens habere debet propositum satisfactionis exsequendae: eo quod plane constat realem executionem poenitentiae injunctae tantum ad integritatem sacramenti pertinere.

Posterior sententia, quae Scotistarum est, contendit actus illos non esse nisi *materiam circa quam* sacramentum versetur et condiciones necessarias ut absolutio sacramentalis effectus suos producat, dum sola absolutio in signum efficax gratiae a Christo assumpta sit. Haec tamen sententia duplici ratione intellegitur. Scotus et veteres Scotistae necessarium dicunt ad sacramenti valorem ut contritio et confessio exterius manifestentur, quia natura iudicii sacramentalis requirit ut causa sufficienter cognoscatur, antequam absolutio detur. Quidam alii (ut Ball. P. n. 4. seqq.) eandem sententiam ita exponunt ut hos actus dicant non absolute necessarios ad valorem absolutionis, excepta sola interna contritione vel attritione, quae semper adesse debet ut bona dispositio ad veniam recipiendam requisita.

Illud tantum, ad scopum nostrum, hic advertendum est: nullo iudicio Ecclesiae litem hanc inter scholas Thomisticam et Scotisticam fuisse diremptam. Immo, teste Pallavicini in celebri Historia Conc. Trid. (l. 12. c. 10), Patres Tridentini diserte caverunt quominus per sua decreta

alterutri sententiae detrimentum inferrent. Quare integrum est quoad praxim alterutri sententiae inniti: neque propter opinionem theologiceam damnanda sunt ea quae aliunde, puta e praxi vel approbatione Ecclesiae, licere constat.

CAPUT II.

DE FORMA SACRAMENTI POENITENTIAE.

264. I. Forma hujus sacramenti reponitur in absolutione a peccatis quam Rit. Rom. (tit. III. c. 2) refert his verbis: "Deinde ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen."

In his sola verba *te absolvo* probabilius requiruntur et sufficiunt ad valorem. Nam clare indicant subjectum quod absolvitur, et satis patet absolutionem dari a debito quod poenitens peccando contraxit: siquidem verbum *absolvo* pronuntiatum a sacerdote qui potestatem accepit ut nomine Dei offensi condonet, ex se vim habet significandi solutionem a speciali vinculo peccatorum, etiamsi haec non exprimantur. (Lugo, disp. 13. n. 18) Idem dicendum de formula: *Absolvo a peccatis tuis*. Attamen, propter probabilem aliorum DD. dissensum, grave esset his tantum verbis uti, atque ita exponere sacramentum periculo nullitatis. Certe valeret formula: *Absolvo te a peccatis tuis*. Quare leviter tantum peccaret qui omitteret voces *ego, amen*, vel invocationem SS. Trinitatis.

Ad voculam *deinde* quod attinet, haec hodie videtur addenda, saltem vi rubricae directivae, quia in editione typica Rit. Rom. (1884) caractere nigro ponitur. Antea eam non esse dicendam multi opinabantur, eo quod rubro caractere in variis Rit. Rom. editionibus excusa erat, ideoque ad rubricam pertinere videbatur.

Nullum est dubium quin valide plures simul absolvi possint hac formula: *Absolvo vos a peccatis vestris*. Quare urgente necessitate, puta in naufragio, imminente praelio, etc., licite sic multi absolverentur, dummodo reliqua ex ipsorum parte requisita ponantur. (La Croix, l. 6. p. 2. n. 645)

265. II. Huic formae in Rit. Rom. quaedam praeceunt et subsequuntur quae hic subjungemus, de singulis adnotantes quanta sit obligatio ea recitandi. (1)

(1) Laudabiliter multi confessarii poenitentibus, antequam sua peccata confiteantur, benedictionem impertiuntur sub hac formula: "Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis ut rite confitearis omnia peccata tua. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen." Confessos autem dimittunt his verbis: "Vade in pace."